

ALDEGATI (Marcantonio)

ELEGIES (1122 vers)

## I

MARCI ALDEGATHI MANTUANI ELEGIA AD MAGNIFICUM ET CLARISSIMUM EQUITEM  
AC IURI UTRIUSQUE DOCTOREM DOMINUM BERNARDUM BEMBUM DOMINUM PRAECIPUUM,  
VENETAE URBIS LUMEN.

v.1 Mos erat antiquis, si quando nupta marito  
2       barbara Romano femina, Bembe, foret,  
3 hanc ad Junonis deducere templa, priusquam  
4       intraret thalamum conjugis illa sui.  
5 Hac stabat nivea succinctus veste sacerdos,  
6       hujus erat sacrae barbara juncta manu.  
7 Idem de nitida tondebat fronte capillos,  
8       secta suis digitis turpis et unguis erat.  
9 Denique quod fuerat non aptum corpore toto,  
10       aere sacro excisum protinus illud erat.  
11 Hoc erat ut, patrios mores oblita, per omne  
12       tempus Romano viveret illa modo.  
13 Sic tu, si qua meis fuerint vitiosa libellis,  
14       uti Romano more, poeta, velis.  
15 Te resecare juvet quod docta non erit aure  
16       admissum : nam te iudice tutus ero.  
17 Iudicio laudata tuo mea pagina vivet,  
18       vivet, nec scombris metuet illa dari.  
19 Optima laudato laus est quae manat ab ore,  
20       virtutis vera gloria laude nitet.  
21 Pagina nostra licet tenerum decantet amorem,  
22       ne renue : immensum numen et ille tenet.  
23 Triste Chaos dubias hunc primum misit in auras,  
24       hujus ut imperio subdita cuncta forent.  
25 Semina concordiae rerum sub pace ligavit,  
26       quas tribuit metas nec superare valent.  
27 Hoc lumen caeli patuit, sunt omnia nutu  
28       hujus facta dei, qui fera regna quatit.  
29 Ille deos quoscumque sua face fulminat, arcu  
30       ignifero humanum concutit ille genus.  
31 Quicquid conspicuum est, toto quid in aethere lucet,  
32       hoc Amor humanis indicat ingeniis.  
33 Ille voluptatis comes est, ille omnia novit :  
34       hei mihi, quod numquam noscere se potuit !  
35 Nil est praeclarum in terris quin causa Cupido

36 non exstet ; superum temperat ille vices.  
 37 Elevat hic animas summi ad fastigia caeli,  
 38 cum superisque pari nos facit ire gradu.  
 39 Nulla potest illum violentia tangere, cum sit,  
 40 heu, tamen ex omni parte timendus Amor.  
 41 Huic cessit Phoebus, totum qui illuminat orbem,  
 42 sponte sua huic cedunt numina cuncta deo.  
 43 Artibus ille bonis viget inclytus, ille sorores  
 44 Pierides secum semper habere cupit.  
 45 Maximus hic vatum est, nec erit bonus ille poeta,  
 46 liber Amoris erit fulmine si quis erit.  
 47 Facundum me fecit Amor : ni nostra sagittis  
 48 pectora fixisset, segnis inersque forem.  
 49 Fulvia, cujus Amor nitidis se spectat ocellis,  
 50 eripuit saevae stamina nostra neci.  
 51 Et tu, quem voluit nostri tutamen honoris  
 52 esse deus, tantae pars bona sortis eris.  
 53 Te duce sidereos ducar sublimis ad axes,  
 54 aeternus Bembi munere dicar ego.  
 55 Exspectent alii praeconia maxima regum :  
 56 est mihi sat Bembo posse placere meo.

## II

## AMOREM CREATUM IN CALAMITATEM MORTALIUM.

v.1 Nonne satis fuerant quaecumque pericula tellus,  
 2 nonne satis tumidi quae parat unda maris ?  
 3 An non mortali generi caelestia praebent  
 4 numina, quo nigros possit adire lacus ?  
 5 Si non in nostrum pectus tua tela, Cupido,  
 6 jactaresque faces, altera tela, tuas,  
 7 hoc etiam nobis deerat, quos omnia vexant  
 8 et nequeunt quorum flectere damna deos.  
 9 Vix ego crediderim caelo sua numina inesse ;  
 10 et si sint, surdis auribus esse reor.  
 11 Undique poena manet nos tristes, omnia vexant  
 12 atque aliquid semper quo pereamus inest.  
 13 Hic deus in nostrum bacchatur pectus et omnis  
 14 concutit ille homines, concutit ille deos.  
 15 Et puer et deus est et habet sua jura Cupido :  
 16 quicquid mundus habet sub sua regna trahit.  
 17 Terribile hoc monstrum in terris natura creavit,  
 18 liberius nobis mortis ut esset iter.  
 19 Non tutum caelum, non tutum noscimus aequor,  
 20 ipsa tremit tellus, Tartara saeva tremunt.  
 21 Suggestit hic lacrimas et sunt in amore querelae  
 22 singultusque graves et sine voce dolor.  
 23 Diminuit famam, mentem consumit et omne  
 24 ingenium fuscatur vimque decusque rapit.  
 25 Perdit et humanam dulci medicamine gentem,  
 26 immodicas parvo tempore perdit opes.  
 27 Hoc nullum carmen, non herba nocentior ulla,

28           hic hominum mentis in sua vota trahit.  
 29       Non alio socios Ithaci medicamine Circe  
 30           esse boves fecit, fecit et esse lupos.  
 31       Crediderim tali nympham medicamine nautas  
 32           Scyllam sub proprio continuisse sinu.  
 33       Non alio cantu Sirenes credere dignum est  
 34           in Siculo puppes detinuisse mari.  
 35       Quod neque fas et jura sinunt, natura pudorque  
 36           usus et ipse vetat, saeve Cupido, facis ;  
 37       in te cura placens, in te viget aegra voluptas :  
 38           spicula plus aloes quam tua mellis habent.  
 39       Gaudia quae praebes duro sunt mixta dolore,  
 40           suspectos reddis qui tua castra colunt.  
 41       Juppiter hamatis quid non tulit ipse sagittis ?  
 42           Quas non est passus ferre in amore notas ?  
 43       Europen rapuit placidi sub imagine tauri,  
 44           Mnemosynen pastor, Delia Parrhasida.  
 45       Hic etiam Coei natam confixus amore  
 46           fulminea tectus contemeravit ave.  
 47       Ipseque Thestiaden, pluma circumdatus alba,  
 48           callidus attraxit sub sua jura deus.  
 49       Conjugis Alcmenen decepit imagine falsi,  
 50           decidit et Danaes aureus in gremium.  
 51       Ussit et hic Semelen rapuitque Aeolida serpens,  
 52           tactus et hic Alopes saepius igne fuit.  
 53       Non ille erubuit, sceptri gravitate relicta,  
 54           hujus in amplexu concubuisse deae.  
 55       Hic etiam exarsit pueri Ganymedis amore :  
 56           venantem hunc uncis unguibus arripuit.  
 57       Circumstant pavidi Troes, mirantur et ipsum  
 58           ascendentem auras : difugiuntque canes,  
 59       et nemus omne sonat, clamoribus intonat aether ;  
 60           ipsae hostem aspiciunt inter inane ferae.  
 61       Quid medicae inventor curae non passus amore ?  
 62           Nil valere artes, nil valere minae,  
 63       nil valuit dixisse : "Puer, depone sagittas :  
 64           hae mihi conveniunt, qui fera bella gero."  
 65       Arsit enim gravius quam si cessisset Amori :  
 66           nescit Amor magnis cedere numinibus.  
 67       O quantum est questus, quotiens quaesivit in herbis  
 68           auxilium, nec opem praestitit herba deo !  
 69       O quotiens captus pueri vesanus amore  
 70           Oebalii, immodicas concidit in lacrimas !  
 71       Gavisus quotiens forti certare palaestra !  
 72           Spartano o quotiens ludere pancratio !  
 73       Omnia perpessus deus est, modo posset amanti  
 74           blandiri et puero tradere suaviolum.  
 75       Quem non vincis Amor, quem non tua spicula laedunt ?  
 76           Non matri parcunt improba tela tuae.  
 77       Pressa furore gravi Cnidon atque Amathunta reliquit  
 78           et Colchos odit Idaliumque jugum.  
 79       Illi sola fuit curae Panchaica tellus,  
 80           cum faciem vidit, pulcher Adoni, tuam ;  
 81       et fuit huic studium maculoso tegmine lycnis  
 82           membra tegi atque humeris retia ferre suis,  
 83       desertisque aris latebras ambire ferarum

84           antraque nexilibus cingere caeca plagis.  
 85       Saepius haec timidas percussit harundine damas,  
 86           saepe vagos lepores illa secuta cane.  
 87       O quotiens passa est venando laedere plantas !  
 88           Sentibus o quotiens eviolare manus !  
 89       Saepe legit flores, florum facit illa corollas,  
 90           subtilibus sertis inserit illa rosas.  
 91       Candida si quando laeserunt pectora vepres,  
 92           "Haec juvenis patior - dixit - amore mei,  
 93       et paterer quaecumque gravi mihi vulnera telo  
 94           infigit qui me cogit amare nimis,  
 95       brachia dum tenero possem circumdare collo  
 96           et retinere meo gaudia nostra sinu.  
 97       Sed fugit et nostros spernit meus ignis amores  
 98           sectaturque truces in mea damna feras."  
 99       Terrarum Alcidem victorem vicit et asper  
 100           Mars tantam haud potuit vincere nequitiam.  
 101       Aequoreis qui regnat aquis te vincere nulla  
 102           arte vel ingenio sive liquore potest.  
 103       Consumunt tantae quemcumque liquamina flammae ;  
 104           viribus, heu, nullis improbe cedis Amor !  
 105       Sed cum tota tibi superiorum gloria cessit,  
 106           parcere mortali debueras generi.  
 107       Non est armatis aequum concurrere nudos,  
 108           vincere mortalem gloria nulla deo.  
 109       Aurea tela geris, rapido circumdatus igni,  
 110           attrahis in flammis pectora nostra tuas.  
 111       Effugere haud quisquam valet improba tela, nec ulli  
 112           fas est alato te superare pede,  
 113       ventilat a tergo quoniam tibi penna nitenti,  
 114           quam celeres possunt vix superare Noti.  
 115       Caecum lumen habes, cernis tamen, improbe, quae sunt  
 116           arte vel ingenio condita sive fide.  
 117       In nos debueras fatis melioribus uti  
 118           et superas homini conciliare vices.  
 119       Hoc erat imperium majus tibi : vincere summos  
 120           et sinere imbelles vivere more suo.

### III

#### ALLOQUITUR UNIONEM QUA DONAT FULVIAM

v.1       Candida bacca, meae digitos tactura puellae,  
       2           a cujus concha Cypria vecta fuit,  
       3       quam faber in Sicula radiavit Mulciber Aetna,  
       4           quam Steropis fulvo clausit in orbe manus,  
       5       bractea lassarunt cujus fera membra Cyclopum,  
       6           incude in dura dum rude stabat opus,  
       7       attinges si quando manus, quibus urimur et quis  
       8           ante meum tempus cogor adire necem,  
       9       fac teneas nostrum niveo sub pectore nomen,  
 10           obses tu fidei pignus et esse velis.

11 Ad dominam properas, quae te candore nitenti,  
 12 quae non calcatas vincit in orbe nives,  
 13 virginea qua lecta manu minus alba videntur  
 14 lilia, qua surgunt alba ligustra minus.  
 15 Non te paeniteat formosae membra puellae  
 16 tangere : lucidius nam tibi lumen erit.  
 17 Ut matutinis radiis percussa nitescit  
 18 gemma magis, lumen sic tibi majus erit,  
 19 cum te lustrabunt vincunt quae lumina solem :  
 20 certabis Phariis lumine margaritis.  
 21 Digna Cleopatrae fies gestarier aure,  
 22 Romanos bello digna movere duces.  
 23 Tu roseis fueris si quando admota labellis,  
 24 quanta tibi dabitur gratia, quantus honor !  
 25 Siderei nihil arca Jovis te majus habebit,  
 26 par tibi nullus erit purus in orbe lapis.  
 27 Tu quoscumque homines, tali madefacta liquore,  
 28 in proprio coges te retinere sinu.  
 29 Te cupient reges amplecti ; iis grata voluptas,  
 30 iis erit aeternum conspicuumque decus.  
 31 Ille liquor quoscumque potest sanare dolores,  
 32 ille liquor mentes reddere corporibus,  
 33 hei mihi, sed duro vinctum per brachia nodo  
 34 me tenet, arbitrio nec sinit esse meo.  
 35 Humida anhelanti pugnantibus oscula linguis  
 36 quae data sunt, memori pectore semper erunt.  
 37 Haec me perpetuis religatum in amore catenis  
 38 oscula non alibi vivere posse sinunt.  
 39 Non Aurora meos sejungere posset amores,  
 40 non quam formosus perculit Endymion ;  
 41 illa nec in silvis lacerum quae flevit Adonem  
 42 dissolvit collo vincula nexa meo.  
 43 Nulla meos poterit praedari femina sensus :  
 44 in me quod proprium est Fulvia sola tenet.  
 45 Arbitrium haec est sola meum praedata, tenebit  
 46 illud in aeternum, semper et hujus ero.

## IV

CONQUERITUR QUOD FULVIA SPECULI CONSILIO NIMIUM SIBI FORMOSA VIDEATUR  
 ET EUM DESTITUAT ; ADMONET FORMAM NIMIUM ESSE LABILEM.

v.1 Illud formosi quo se speculantur ocelli,  
 2 qui sunt aeterni gloria prima Jovis,  
 3 ut videant quanta superent caelestia luce  
 4 lumina dentque mihi grandia saepe mala,  
 5 aes facit ut miserum spernas me in amore furentem,  
 6 exsul et a proprio sim miser hospitio.  
 7 At, si firma meum retinebant vincla furorem  
 8 et tibi si fidei quidve timoris erat,  
 9 debuerat speculum numquam mea solvere vincla,  
 10 tam duram nec te reddere luce tua.  
 11 Exemplum vani Narcissi praebeat unda,

12 non tali quamvis digna sit herba rosa.  
 13 Vidi ego pampineis oneratas vitibus ulmos,  
 14 quarum decussit bruma repente decus.  
 15 Vidimus in bifero viridantia germina Paesto,  
 16 pallida quae subito facta fuere gelu.  
 17 Hei mihi, quam miserum est nimium se fidere rebus,  
 18 quas rapit una dies, quas vorat hora brevis !  
 19 Nil est perpetuum in terris : vorat omnia tempus ;  
 20 anceps forma bonum est et decus illa breve.  
 21 Tempus obest formae, sunt omnia subdita morti :  
 22 quicquid sub caelo est lurida fata trahunt.  
 23 Qua periere virum tot millia Troja ruitque,  
 24 hanc tandem ad Ditem misit avara dies.  
 25 Aetas cuncta rapit, mors improba destruit omne  
 26 et nihil est de quo non velit esse potens.  
 27 Illa rapit quodcumque placet, quodcumque decorum,  
 28 formosisque solet semper obesse magis.  
 29 Dum rosea est aetas, dum floret culta juvenus,  
 30 utendum est : celeri labitur illa pede.  
 31 In te cum suberit tacito pede fessa senectus,  
 32 maerebis dulcis praeteriisse dies.

## V

ODIO DICIT HABITURUM FENESTRAM QUA SAGITTIS EUM FERIIT CUPIDO,  
DUMQUE VITA SIT SINE LABE MORIENDUM ESSE.

v.1 Semper erit nostris oculis invisita fenestra  
 2 unde tot in nostrum tela ruere jecur,  
 3 cum mortem auratae mihi non tribuere sagittae,  
 4 adsit cum vitae mors nisi laeta bonae.  
 5 Quam nimium poterat felix occumbere Cadmus  
 6 ante cruentatas Martis in angue manus !  
 7 Tot miseros natos, tot pignora cara nepotes,  
 8 vidisset numquam tam fera fata pati.  
 9 Quam bene rupissent Priamo sua fila Sorores,  
 10 cum fuit Herculeae dirruta Troja manu !  
 11 Natorum non ille necem, non regna cremari,  
 12 non turpi natas condicione premi,  
 13 non sua vidisset laniari corpora ferro,  
 14 esset Cisseis non imitata canem.  
 15 Cedendum dum fata sinunt, dum tempora praebent,  
 16 imponit finem dum Libitina malis.  
 17 Nunc vitam infelix extrema per omnia duco,  
 18 inque meum jurant numina cuncta caput.  
 19 Cum vacuus curis et eram cum liber ab omni  
 20 servitio, poteram tunc ego morte premi :  
 21 non Amor, insidiae, non me vexasset acerbae  
 22 condicio sortis, non genus omne mali.  
 23 Vidi ego qui dulci potuere occumbere morti,  
 24 parva quibus miseram praebuit hora necem.  
 25 Vivimus in lacrimis, vita est nihil : omnia perdunt

26 tempora, sors variat quae bona sunt hominum.  
 27 Urimur, in gelida glacie consumimur igni,  
 28 morteque vivaci pectora nostra jacent.  
 29 Omne quod est miserum patimur sub Amore merentes ;  
 30 quod sit, amante potest tristius esse nihil.  
 31 Dii faciant tantos possim finire dolores  
 32 et fugiat tristi pectore vita meo,  
 33 si mea perpetuo debentur corda dolore  
 34 divelli, nec sit qui mihi praestet opem,  
 35 nullaque mortali generi diuturna voluptas  
 36 detur et hic possit firmitus esse nihil.  
 37 Saepe mihi dixi fatis venientibus ultro :  
 38 "Non est cur fugias, Marce miselle, necem."  
 39 Optatis non semper adest sors ultima votis ;  
 40 felix o nimium qui sine labe cadit !

## VI

## DE AMORE FUGITIVO VENUS ALLOQUITUR.

v.1 Littoreas inter myrtos cum nuda jaceret  
 2 alma Venus, secum nudus et esset Amor  
 3 et suavi Charites implerent carmine litus  
 4 et Paphiae volucres murmura blanda darent,  
 5 seposuit viridi nitidissima gramine membra  
 6 et sua sunt somno lumina pressa gravi.  
 7 At se qui facili nescit praebere quieti,  
 8 carpere quem volucris non sinit aura moram,  
 9 clam fugit et tenerae linquit penetralia matris :  
 10 per freta, per terras et per inane volat.  
 11 Excutitur somno Venus aurea, nec puer ille  
 12 tangitur et vacuo se videt esse toro ;  
 13 clamat et e roseo suspiria pectore fundit  
 14 et placido tales mittit ab ore sonos :  
 15 "Viderit in triviis errantem si quis Amorem,  
 16 qui mea, nescio quo numine, regna fugit,  
 17 perculerit nostras verus si nuntius aures,  
 18 immemor obsequii non erit alma Venus :  
 19 oscula grata dabit, sed si modo duxerit illum,  
 20 in se quicquid habet dulcius illa dabit.  
 21 Insignis puer est, nitido non ille colore,  
 22 igne sed ardenti corpora nuda tegit.  
 23 Ardentes oculos huc illuc vertit et acri  
 24 lumine, non qualis nosse sit ille decet.  
 25 Dulcia quae tenero formantur verba palato  
 26 non audita suo verba cadunt domino.  
 27 Irato non est quicquam crudelius illo ;  
 28 decipit et ficto pectore verba fluunt.  
 29 Acriter alludit, munitus et arte dolosa est ;  
 30 intonsum caput est, nullus in ore pudor.  
 31 Illi parva manus, duro tamen utitur arcu,  
 32 quo superos vexat, quo freta saeva quatit,

33 Tartara quo nequeunt securos ducere somnos,  
 34 a cujus nemo vulnere sanus abit.  
 35 Explicat a tergo geminas, quibus evolat, alas,  
 36 nil quibus ignotum mundus habere potest.  
 37 Hic caeco tangit mortalia pectora telo :  
 38 unde ictus veniant noscere nemo potest.  
 39 Et pharetra ex humero multo spectabilis auro  
 40 pendet et ardenti fulmine cuncta quatit.  
 41 Omnibus est hostis puer ille, nocentior ipsi ;  
 42 quam minima incendit numina magna face !  
 43 Illum forte tuo dabitur si jure tenere,  
 44 tu facito illius verbera saepe domes.  
 45 Riserit ? Ah, moveat non te puerilis imago ;  
 46 frigida sunt risu mixta venena suo.  
 47 Verba dabit ? Fugias ; liquidum mel manat ab ore,  
 48 quo trahit a summo cardine saepe Jovem.  
 49 Arma dabit quaecumque gerit : fuge munus amarum,  
 50 ne tangas Stygio munera tincta lacu."

## VII

SCRIBIT AD FAUSTUM TENTASSE SAEPIUS AB AMORE DISCEDERE,  
 SED MINIME & POTUISSE, CUM FUGA NIHIL PROSIT AMANTI.

v.1 Saepe ego tentavi duris me solvere nodis,  
 2 implicuit collo quos mihi saevus Amor.  
 3 Saepe per umbrosas silvas, per devia rura  
 4 fugi ego flammigeri tela cruenta dei.  
 5 Ast ego si peterem Gangem Scythiamque nivosam,  
 6 ad Gangem, ad Scythiam, Fauste, veniret Amor.  
 7 Non si Pegaseo veherer per inane caballo  
 8 vinciretque meos aurea penna pedes,  
 9 sive ego Triptolemi currus conscendere possem,  
 10 sive ego Medaeae, sive ego, Phoebe, tuos,  
 11 effugere haud possem vibrat quae tela Cupido :  
 12 quo magis effugio, me magis illa petunt.  
 13 Ocius est vento telum quod mittit ab arcu  
 14 securumque potest hoc nihil esse diu.  
 15 Omnia devincit deus hic, qui lumine caeco  
 16 ultra Indum et Calpen Sauromatasque videt.  
 17 Aurea penna nitet tergo, qua fulgur et auras  
 18 praeterit, in summo qua petit axe Jovem.  
 19 Spicula saeva gerit, Cressam gerit ille pharetram  
 20 atque arcum, nivei nobile dentis opus,  
 21 quem magni timere duces, timere deique ;  
 22 qui si non esset, libera cuncta forent.  
 23 Vulnere quae infigit nullo medicamine possunt  
 24 sanari, magicis non et imaginibus.  
 25 Gramina Medaeae, Aeaeae gramina Circes  
 26 nil in amore valent, nil valet ingenium.  
 27 Nos necat et morimur, quam sit ferus agnitus hostis  
 28 sunt et in occulto vulnere facta loco.



29 Ille oculos in se vertit torquetque medullas ;  
 30 nescitur tanti prima ruina mali.  
 31 Non loca, non tempus possunt removeere furorem :  
 32 verus amor nulla condicione perit.  
 33 Longa dies rigidos potuit lenire leones,  
 34 longa dies molli saxa liquore terit,  
 35 at non longa dies misero succurrit amanti :  
 36 in nostro semper pectore vivit Amor.  
 37 Aetatis licet octo meae sint lustra ruentis  
 38 obnubatque meas aspera barba genas,  
 39 concutit ille tamen diro mea pectora telo,  
 40 major et insurgit pectore flamma meo.  
 41 Me duo devincunt oculi, qui sidera vincunt  
 42 et par cum Phoebi lumine lumen habent.  
 43 Iis ego non horam possum sperare quietem,  
 44 iis mea libertas vendita tota fuit.  
 45 Fulvia me duro retinet sub Amore merentem ;  
 46 non sinit alterius, non sinit esse mei.  
 47 Me solum illius radii consumere possunt  
 48 et somnum fessis rumpere luminibus.  
 49 Fulvia post Manes, dederint modo fata, placebit :  
 50 divinum in tenebris haec mihi lumen erit.

## VIII

ALLOQUITUR GUIDARELLUM, EQUITEM RAVENNATEM, NE MIRETUR EUM TAM FACILES  
 MUSAS HABERE QUODQUE SEMPER AMORE TENEATUR ; ASSERIT FULVIAM ISTUD  
 UTRUMQUE FACERE.

v.1 Quod mihi tam faciles veniant in carmina Musae,  
 2 quod nostro numquam pectore cesset Amor,  
 3 miraris, Guidarelle, mei pars maxima cordis ;  
 4 desine mirari : Fulvia utrumque facit.  
 5 Haec mihi conciliat Phoebum doctasque Sorores :  
 6 veh misero ! Causa est cur ego semper amem.  
 7 Non solis nobis datus est Amor, omnia vincit  
 8 numina, non soli pulchra placent homini.  
 9 Hoc ego perpetuo crucior malesanus amore,  
 10 ne nimium superis sit mea grata Venus.  
 11 Humanum variant genus aspera fata, nec ulli  
 12 cras se victurum dicere posse datur.  
 13 Mortales brevis hora rapit, nec tempora possunt  
 14 nec fera sidereis fata nocere choris.  
 15 Quid mirare, meum vexat si femina pectus ?  
 16 Infelix quid si semper Amore premar ?  
 17 Amphitryoniades, proles fortissima, qui se  
 18 opposuit monstris, victus Amore fuit.  
 19 Caesarie hic puerum insignem formaque decorum  
 20 dilexit, patrio munere fovit Hylam.  
 21 Hic puer excipiens quicquid manabat ab ore  
 22 Alcidae, toto clarus in orbe fuit.  
 23 Exstaret medio Phoebus licet altus Olympo.

24 Hic puer Herculeo junctus erat lateri.  
 25 Hunc illi comitem surgens Aurora tenebat,  
 26 hunc illi comitem Phoebus et occiduus.  
 27 Cum bis cantantes passerulae ad alta ruebant  
 28 tecta, quibus matres concinuere suae,  
 29 hoc sine non poterat puero Tirynthius esse :  
 30 tam fuit Herculeo pectore fixus Hylas.  
 31 Saepe illum gestare arcum clavamque docebat  
 32 posset ut in fortes connumerare viros.  
 33 Aesonides Colchos sed cum properaret Iason  
 34 et comes heroum turba verenda foret,  
 35 iis una intrepidus ditem properavit Iolcon,  
 36 quem tulit Alcmene filia Midatidis.  
 37 Est secum peramatus Hylas, conscendit in Argo  
 38 lecta cohors procerum ; nat freta longa ratis.  
 39 Non haec Cyaneas tetigit ratis ; evolat omne  
 40 illa fretum, ad Phasim navigat incolumis.  
 41 Evolat, ut vastum volucrum regina profundum :  
 42 sese firmarunt hac rate Cyaneae.  
 43 Jamque mare attigerant linquentes Pleiades axem,  
 44 agnus et inde novus coeperat esse satur.  
 45 Ver erat : heroum jam flos conscenderat Argo,  
 46 Hellespontiacas illa secabat aquas.  
 47 Tertia lux aderat : miscebant aequora venti,  
 48 radebat pelagus nauta Propontiacum.  
 49 Cessarant venti in portu, jamque arva tenebant  
 50 Cyaneum heroes, pascua laeta bovum.  
 51 Descendunt timidi in litus, convivium circum  
 52 transtra parant, sternunt languida membra solo.  
 53 Commoda stibadiis palus hic per amoena jacebat,  
 54 cyperon pungens vellitur, hic butumon.  
 55 Flavus Hylas quaerebat aquas urnamque gerebat,  
 56 ut dominis potum traderet ille suis.  
 57 Alcidae Thelamon socius fuit : ambo sedebant  
 58 mensa una, ambobus gratus et unus erat ;  
 59 gratus Hylas, madidas qui dum pede conterit herbas,  
 60 invenit in viridi gramine fontis aquam.  
 61 Caeruleum hic surgit chelidonion atque adianton  
 62 et viret hic apium, gramen et omne tenax.  
 63 Stant mediis in aquis nymphe ducuntque choreas  
 64 et non mortali carmina voce canunt.  
 65 Nymphe non mites sed agrestia numina, nymphe  
 66 Eunica et Mallis verque Nychia tuens.  
 67 Intendebat aquis urnam puer ipse capacem,  
 68 urna erat et nitidis aurea mersa vadis,  
 69 cum videre manus et candida brachia nymphe,  
 70 brachia quae poterant exsuperare nives.  
 71 Accurrunt, rapiunt puerum merguntque sub undis :  
 72 effera tam subito pectora fixit Amor.  
 73 Totus Hylas in aquis ruit, ut delabatur astrum  
 74 ignitum caelo, quod mare sorbet aquis.  
 75 Aspirant venti : "Date vela, insurgite remis",  
 76 Typhis ait ; socii sidera clara vocant.  
 77 Flebat Hylas ; verbis nymphe solantur amicis  
 78 inque suo flentem continuere sinu.  
 79 "Siste puer lacrimas et mollibus utere nympis :



5 Omnia sunt madidis circumdata lumina nimbis,  
 6 exitiumque meum numina cuncta volunt.  
 7 Haec ego cum videam, votis quid numina tento ?  
 8 Manat ab irato nostra ruina Jove.  
 9 Quid laceram scopulis conor detrudere puppim ?  
 10 Expediit imbriferis me dare vela Notis.  
 11 Non ego sum tanti superas qui vertere mentes,  
 12 fortunae valeam qui retinere rotam.  
 13 Quid mea fata moror ? Caeli fera sidera poscunt  
 14 ut patria caream destituarque mea,  
 15 exsul in ignota tumuler vel vexer arena,  
 16 ossa et inhumanis sint mea fracta feris.  
 17 Effugiam ingrati temeraria murmura vulgi  
 18 exiliumque meum dedecus urbis erit.  
 19 Cognita cum fuerit, superat quae sidera, virtus  
 20 et cui non possunt fata nocere diu,  
 21 in patriam cadet omne scelus, nec dicar ab ullo  
 22 tam miseri exilii conscius esse mei ;  
 23 et mea si quis erit statuet qui jura tueri,  
 24 hoc patrocini non erit ille reus.  
 25 Estne novus furor hic patriae deperdere civem ?  
 26 Non ita me divi pignora mater amat.  
 27 Prodessem ut patriae studio mea tempora trivi  
 28 et data sunt patriae quae periere bona,  
 29 et natale solum miseri nil curat alumni :  
 30 hei mihi sunt sterili semina missa solo !  
 31 Si parvis majora licet componere rebus,  
 32 est mea sors magnis aequiparanda viris.  
 33 Celsa triumphalis posuit qui moenia Romae,  
 34 milite confossus decidit ille rudi.  
 35 Qui Veios multa furibundos caede subegit,  
 36 ipse peculator pulsus ab Urbe fuit.  
 37 Qui Tyrio patriae morientia moenia bello  
 38 servavit, parvo contegit ossa solo.  
 39 Hujus ego immeriti referam quid vincula fratris,  
 40 qui bello Antiochi debilitavit opes ?  
 41 Ille Numantinum domuit qui Marte furorem  
 42 non necis ultorem sensit adesse suae.  
 43 Qui domuit plebi tribuentem jugera Gracchum,  
 44 inter Pergameos occidit ille Lares,  
 45 et tantae exstinguens incendia maxima flammae,  
 46 Publius in Sicula Lentulus urbe perit.  
 47 Improba qui Malii turbavit vota furentis,  
 48 Servilius patrio est jussus abire solo.  
 49 Qui Latii populos foedavit Marte cruento,  
 50 Hannibal, e Tyria, ne cadat, urbe fugit.  
 51 Fatidica divum numero qui voce locatus  
 52 percussus saxo est saepeque fusus humo.  
 53 Thesea, quo nimium viguerunt principe Athenae,  
 54 jusserunt parva fata subire Tyro.  
 55 Illum ego non memorem, quem doctum dixit Apollo,  
 56 qui sanctas leges, qui pia jura tulit ?  
 57 Attica consilio cujus si freta fuisset  
 58 aeterno imperio terra potita foret.  
 59 Et qui Persarum tot millia tradidit Orco  
 60 exstinctus foedo est carcere Miltiades.

61 Qui Xerxem ad Persas cymba migrare coegit  
 62 taurino ante hostem sanguine potus obit.  
 63 Justus Aristides nimia probitate fugatur  
 64 et secum patriae jura fidemque trahit.  
 65 Alcanori portum patriae qui tradidit urbis,  
 66 haud potuit mortem hic effugere ingenio.  
 67 Tityrus, ingratae quamvis sua traderet urbi  
 68 munera, non potuit pellere ventre famem :  
 69 formosae at postquam dulces Amaryllidis umbras  
 70 attigit, ille satur venit ad arma virum.  
 71 Sunt etiam vates heroes inter habendi :  
 72 est aliquid sacrum quod tueatur opus.  
 73 Si mea puppis erit vento deducta sereno,  
 74 ancora fundabit si mihi firma ratem,  
 75 perpetuum nostro carmen manabit ab ore :  
 76 tu mihi Maecenas, tu mihi Caesar eris.  
 77 Tunc monumenta dabo, quae non fera tempora carpent,  
 78 et fiam patriae fama secunda meae.  
 79 Quid queror, o demens ? Virtutis gloria rebus  
 80 noscitur adversis et magis illa nitet.  
 81 Si non vexassent rabidi mea lintea venti,  
 82 ingenium nullus nosset in orbe meum ;  
 83 Non mea magnanimo placuisset fistula Bembo,  
 84 aeternum cujus nomen amore feram.  
 85 Haec mala, quae patior, nostrae spes una salutis  
 86 sicce tibi aeternum nomen in orbe dabunt :  
 87 namque giganteo referam tua gesta triumpho,  
 88 fiet et aethereo par tua fama Jovi ;  
 89 et si tanto operi tempus nec fata nocebunt,  
 90 non nisi te lecto fama perennis erit.

## X

AD PHILEAN ROVERELLAM, ARCHIEPISCOPUM RAVENNAE,  
 CUI AUGURATUR PONTIFICATUM.

v.1 Philea, quem sacra suum Capitolia regem,  
 2 Martia Pontificem quem sibi Roma cupit,  
 3 cujus in immensum tollunt se robora caelum,  
 4 robora siderei maxima fama Jovis,  
 5 auguror en veniet cum tu, fidissime rerum,  
 6 diceri custos Urbis et esse pater ;  
 7 auguror en veniet cum tu, mitissime praesul,  
 8 totius Latii pastor et orbis eris.  
 9 Non hoc fata volunt extendi tempus in aevum ;  
 10 tot bona sunt longa non retinenda die.  
 11 Scandere tunc superas auras tua robora cernam,  
 12 pastus et hoc dulci robore mundus erit.  
 13 Haec primum genus humanum pavere sub antris,  
 14 saucia cum nundum vomere terra foret.  
 15 Juppiter hac viridi cinxit sua tempora fronde :  
 16 naturae est vere Juppiter ipse pater.  
 17 Glans aluit veteres, hac arbore saecla fuerunt

18 aurea, pacem homines hac coluere dape.  
 19 Nullum crimen erat genialis ab arbore glandis,  
 20 insidiae nullae, nullus in orbe labor.  
 21 Sponte cibum tellus, potum praebebat et unda,  
 22 quam minimo fuerat munere quisque satur.  
 23 Quisque suo contentus erat quo viveret agro ;  
 24 sulcarat nundum navis onusta fretum,  
 25 lintea nec Zephyrus tumefecerat ulla nec Eurus,  
 26 turbarant nundum flamina dira Jovem.  
 27 Non mercator opes, non fulvum advexerat aurum,  
 28 nec fuit in rubro bacca reperta mari.  
 29 Non bellum, non ensis erat, pax sola per orbem  
 30 et tranquilla quies, dulcis et ardor erat.  
 31 Tergemino fueris cum tu diademate cinctus,  
 32 te pastore, pius tunc volet esse Deus ;  
 33 illice mella cadent, decurrent flumina lactis ;  
 34 hos Astraea Lares tunc habitare volet.  
 35 Tunc ego grandiloquo referam tua gesta cothurno,  
 36 aeternumque meo carmine robur erit.  
 37 Interea nostros fas est cantemus amores,  
 38 detentus quali simque ego servitio.

## XI

AD MAGNIFICUM EQUITEM DOMINUM FRANCISCUM ARRAGONIUM,  
CUI SE PLURIMUM COMMENDAT.

v.1 Currimus huc tandem, nostrae spes maxima vitae ;  
 2 tu mihi praesidium, tu mihi certa salus.  
 3 Heu, cecidere meae felicia vela carinae,  
 4 traxit in adversas haec ferus Auster aquas.  
 5 Contremit irati pelagi mea puppis in undis ;  
 6 deficient remi, deficient animi.  
 7 Ipse licet pulsem summi pede regna Tonantis,  
 8 clausa mihi sine te regna Tonantis erunt.  
 9 Te sidus clarum infelix ego navita posco,  
 10 certa magis nescit quae petat astra ratis.  
 11 Omnia sunt infesta meae caelestia cymbae  
 12 numina, me jactant in fera saxa Noti.  
 13 Pollucem fracto videam vel Castora malo :  
 14 ducantur placidis lintea sideribus.  
 15 Auxilium miseris et opem praebere deorum est ;  
 16 in te numen habes : utere more dei.  
 17 Cum venti posuere, ferus nec saevit in undis  
 18 Neptunus, quis erit qui Jovis optet opem ?  
 19 Cum freta saeva tument, cum surgunt aethere nimbi,  
 20 tunc opus est votis, tunc opus auxilio.  
 21 Me fera jactat hiems, diris jam mergor ab undis,  
 22 auxilium misero deprecor ; affer opem,  
 23 vince meam sortem, rabidum compesce furorem :  
 24 Aeolus imperium praestitit omne tibi.  
 25 Dura licet misero dederint mihi fila Sorores,

26 vince tamen vitae stamina dura meae.  
 27 Omnia cum fuerint nostrae contraria menti  
 28 sidera, si vinces gloria major erit.  
 29 Alcidae est aliquid nodosam evellere clavam  
 30 deque manu summi fulmina posse Jovis.  
 31 Naufragio liceat certam praebere salutem,  
 32 e scopulis laceram trudere velle ratem.

## XII

BELLUM A NORICIS VENETIS ILLATUM NARRAT :  
 IOANNEM BURGIUM COMMENDAT, QUI PEDITES SELEGIT.

v.1 Barbara turba furit Venetumque miserrima bello  
 2 imperium rigido dilaniare cupit.  
 3 Quid faciat sana secernit mente Senatus,  
 4 omnia consilio discutit ille gravi.  
 5 Eligitur rerum Venetum cui summa potestas :  
 6 Burgius, eloquio clarus et ingenio.  
 7 Aera capit cursuque cito petit ille Ravennam ;  
 8 hic peditum turbam Marte favente facit.  
 9 Non alit hos Rhenus, non hos binominis Istri  
 10 arva, sed Aemiliae protulit ora viae.  
 11 Indulgent vino non ii sed Marte cruento  
 12 oppositum est quicquid sub sua jura trahunt.  
 13 Cognati retinent primordia nominis et se  
 14 noscunt Romano sanguine habere genus.  
 15 Ante oculos Marius multo spectabilis auro  
 16 astat et insigni stemmate ad arma vocat.  
 17 Ostentat dederit quantam tibi, Teutone, cladem,  
 18 flumina quaeve tuo tincta cruore cadant.  
 19 Fulminat hic multa clarus virtute Robertus,  
 20 excelsum cujus nomen ad astra volat.  
 21 Hoc solo vires assumit nomine miles,  
 22 hostibus hoc solo nomine tela cadunt.  
 23 Talia credendum est de se monumenta daturum,  
 24 qualia nec prisca contribuistis avi ;  
 25 milite tam forti certa est victoria, tanti  
 26 est ducis insigni nomine certus honos.  
 27 Suffragio Venetum dux est electus ad arma,  
 28 ingenio Burgi miles ad arma venit.  
 29 Quicquid praeclarum vel dignum nomine fiet,  
 30 Burgius hujus erit non quota causa meus.

## XIII

AD PYRRHUM DONATUM AMORI NULLUM ESSE REMEDIUM, NISI UTI PATIENTIA.

v.1 Conquereris nimio quod sis vexatus amore,

2           quod nequeas uno vivere pace die,  
 3       Delia quod totam videat te saeva per urbem  
 4           currere, ut argentes qui canis horret aquas ;  
 5       Te dira exustum flamma victumque catenis  
 6           cernat et haec misero non tibi tradat opem.  
 7       Desine jam vanas effundere, Pyrrhe, querelas :  
 8           est Amor irato surdior ipse freto.  
 9       Ille magis saevit media cum morte teneri  
 10           nos videt ; heu, nullo flectitur obsequio.  
 11       Quo magis asper Amor miseros nos torquet amantes,  
 12           tanto majores ventilat ille faces.  
 13       Blanditiis trahit in flammis, nos urit amantes,  
 14           implicat et visco pectora nostra suo.  
 15       Aucupio capiuntur aves, capiuntur amantes,  
 16           aucupio in saevos ducimur, heu, laqueos.  
 17       Crede mihi, non est tutum se credere amori :  
 18           semper in extrema sorte tenetur amans.  
 19       Quisquis amore tenetur eat semotus ab omni  
 20           munere naturae, se nihil esse putet.  
 21       Lex datur haec illis, vexat quos igne Cupido :  
 22           sint ut ab humana condicione procul.  
 23       Morte jacent vivi in media ; torquemur ab omni  
 24           supplicio, nec amor sed furor excruciat.  
 25       Herbarum inventor Phoebus medicaeque repertor  
 26           artis et horrendas doctus adire feras,  
 27       heu, numquam vellet sprevisse Cupidinis arcum :  
 28           sensit ab adducto spicula missa bove.  
 29       Sensit Amyclaeae combustus amore puellae  
 30           in magnos possint quam fera tela deos.  
 31       O quotiens dixit : "Certe mea dura sagitta,  
 32           est tamen aligeri durior illa dei.  
 33       Ille quidem fixit mea pectora, nec datur ulla  
 34           sanare immensum, veh, mihi vulnus ope.  
 35       Me miserum ! Sprevi qui saeva Cupidinis arma ;  
 36           me miserum ! Daphnes uror amore gravi.  
 37       Me fugit illa tamen, nostros nec curat amores,  
 38           me sinit in mediis ignibus illa mori.  
 39       Nympha mane, ne sperne tuum crudelis amantem :  
 40           non hostis sed amans te, mea nympa, sequor.  
 41       Quem fugias nescis, spernas quae gaudia nescis,  
 42           nec quem conaris perdere posse deum.  
 43       Aspera, si scires certe moderatior esses,  
 44           utile narrares ipsa fuisse piam.  
 45       Non de plebe deus, sed sum qui lumina mundo,  
 46           heu, tribuo et quo nil pulchrius orbis habet ;  
 47       herba nec est oculis quae non sit cognita nostris ;  
 48           sanantur nostra vulnera cuncta manu.  
 49       Infelix maeror, non sunt mea pectora telo  
 50           icta gravi ? Nostra nec relevamur ope.  
 51       Nympha mane, caveas laedant ne candida sentes  
 52           crura tibi, ne sim causa doloris ego.  
 53       Colla nives et labra rosas, tua lumina vincunt  
 54           sidera, me cruciant quae tua membra latent."  
 55       Illa fugit sequiturque deus non passibus aequis,  
 56           jamque manu apprehendit, sed tamen illa fugit.  
 57       Et petit illa deos et opem dent numina poscit,



58 in manibus Phoebi laurus et illa viret.  
 59 Phoebus in amplexu truncum tenet, oscula ligno  
 60 figit adhuc tremulo, lacrimulaeque cadunt,  
 61 et fatur lacrimans : "Quoniam mea non potes esse  
 62 uxor, eris capiti digna corona meo",  
 63 carpit et e viridi trepidantes arbore frondes  
 64 et pharetram et citharam cingit et ille comam.  
 65 Nos decet insanos igitur sufferre dolores,  
 66 nulla datur tanto cum medicina malo.  
 67 Saucius indomiti quicumque Cupidinis arcu est,  
 68 quod jubet asper Amor cogitur ille pati.  
 69 Nemo ab Amore datur liber nec tutus abire  
 70 inde potest ; volucres vincit Amor Zephyros.  
 71 Perfer et obdura, tu lenibus utere verbis,  
 72 exorant faciles lenia verba deos.

## XIV

## EPITHALAMIUM ILLUSTRUM ELISAE GONZAGAE ET GUIDI URBINI DUCIS INCLYTI.

v.1 Jam Latii resonant montes, jam carmine valles :  
 2 jungenda est Guido dulcis Elisa suo.  
 3 Phoebe, move tua plectra, petit Thetis altera nostrum  
 4 dulcis opus, sacram concute, Phoebe, lyram.  
 5 Nunc sese e medio petulans Elegia Cythero  
 6 suscitet, alterno currat et illa pede.  
 7 En numen demissa Venus, demissa decorum,  
 8 hac dici nympa gestit in orbe minor.  
 9 Ipsa manu sponsam ducit, nec tangere limen  
 10 permittit patrium, servet ut illa decus.  
 11 Clara domus, clarus pater et Gonzaga per orbem  
 12 progenies fulget, sidus ut axe novum.  
 13 Aurea dat Juno sua munera - Juno maritis  
 14 praesidet alma toris, lucis et omen habet -,  
 15 sese promittit sponso sponsaeque daturam  
 16 pignora, quae poterunt dici esse Jovis.  
 17 Mars hastam quatit ipse ferox, jungitque marito  
 18 uxorem, ceston solvit et alma Venus.  
 19 Dat crumeram Pallas, viridem dat Flora corollam,  
 20 verbena et vario gramine sponsa viret.  
 21 Fescennii cantant pueri ; discedite cuncti,  
 22 arte quibus magica posse nocere datur.  
 23 Flammea jam capiti rubeant, purisque lavetur  
 24 fontibus, ut sponso sponsa sit aequa suo.  
 25 Adsit et hic Genius, rerum cui summa potestas,  
 26 cui data sunt vitae jura tenenda manu.  
 27 Tangat aquas ignemque simul, fecunda vocetur  
 28 sponsa, ferant pueri quinque sub astra faces.  
 29 Este procul lites, procul hinc discordia sese  
 30 amoveat, procul hinc improba fama ruat.  
 31 Ungite vos famulae postes fusumque columque  
 32 ferte simul : castas casta Minerva decet.

33 Huc Hymenaeae pater, coetu comitante Latino,  
 34 huc pete, purpureis cinge caput rosulis.  
 35 Jam suavem spargat tibi mollis amaracus umbram,  
 36 luteus et soccus cingat utrumque pedem.  
 37 Haec est alma dies niveo signanda lapillo :  
 38 excitus suavi carmina voce canas.  
 39 Sparge solum pedibus, quatiat manus inclyta taedam,  
 40 alite sit virgo nupta pudica bono.  
 41 Idalium quae diva colit Cyprumque Paphumque,  
 42 est minor a Phrygio iudice visa Venus.  
 43 Dulcis Elisa nitet, veluti cum ramulus aut flos  
 44 myrteus a nymphis est madefactus aqua :  
 45 quem Dryades tondent, variant quem mille figuris,  
 46 quem solaciolum culta Diana tenet.  
 47 Felix sponse : bonus deus affluit et bona Parcae  
 48 fila tibi nerunt, non soluenda deis.  
 49 En videas quali jungaris, Guide, puellae,  
 50 Guide, nitor caeli conspicuumque decus.  
 51 Est oriens Aurora tuum subitura cubile :  
 52 tu non mortali junctus eris lateri.  
 53 Non non mortali est haec virgo sanguine creta,  
 54 nonque decem menses haec peperere bona :  
 55 splendet enim in terris, ut ver, cum destitit imber,  
 56 junctaque sincerae est forma pudicitiae.  
 57 O pulchra, o virgo, nimium placabilis, ingens  
 58 ornamentum orbis, gloria, pompa, nitor,  
 59 quam bissenae suum comitantur sidera solem,  
 60 in sociam Charites quam voluere deae,  
 61 aspice te quanto junxit fortuna marito :  
 62 hoc nihil in terris clarius esse potest.  
 63 Thessala non talem viderunt Pellea Tempe,  
 64 cum Thetis Haemonias acceleravit aquas.  
 65 Pendeat ex humeris chelys aurea, pendeat arcus  
 66 et pharetra ex humeris aurea : Phoebus erit.  
 67 Splendeat a tergo, volet aurea penna nitenti :  
 68 alter erit Veneris filius, alter Amor.  
 69 Adde quod in niveo viget inclyta pectore virtus,  
 70 cui non longa dies nec fera fata nocent.  
 71 Praetereo excelsi monumenta decora parentis,  
 72 Itala cui tellus subdita tota fuit ;  
 73 militiae palmam cui Mars dedit, omnia forti  
 74 vincere posse manu, vincere consilio.  
 75 Sed patria virtute parum juvat ire sub astra :  
 76 clarior est propria gloria parta manu.  
 77 Quanta sit in patrum reverentia, quanta voluptas  
 78 noscitur : haud quicquam est quo sine discutiat.  
 79 Illa cadit numquam, numquam cadit illa juvenus,  
 80 sectatur justi quae monumenta senis.  
 81 O felix nimium, Octavi dum principis aetas  
 82 suggeret imperio tam bona jura tuo.  
 83 Felix Guide, tua talis dum vivet in aula  
 84 princeps, dum monitis illius aequus eris.  
 85 Carior est auro virtuti juncta senectus ;  
 86 tempore qui longo floruit ille sapit.  
 87 Viribus haud umquam superassent Pergama Grai,  
 88 audisset si non Graia juvena senes.

89 I nunc, Guide, tuae lateri te junge maritae :  
 90 vitis ut adsitis jungitur arboribus,  
 91 ut teretes hedera nigra nectuntur et ulmi,  
 92 sic tua sint collo brachia nexa suo.  
 93 Gignite et adsimiles vobis, quorum ampla per orbem  
 94 fama volet, patrios quae superet titulos.  
 95 "Io io Hymenaeae" canant juvenesque senesque,  
 96 turba puellarum "io Hymenaeae" canant.

## XV

AD CLARISSIMUM EQUITEM DARIUM TIBERTUM,  
 PATRICIUM CESENATEM, POETAM DOCTISSIMUM.

v.1 Ordinar unde tuum, Dari, super aethera nomen  
 2 tollere ? Quae nostrum Musa fovebit opus ?  
 3 Me miserum liquit doctarum turba sororum,  
 4 mi negat auratam pulcher Apollo lyram.  
 5 Circum te cantus, circum te culta choreas,  
 6 circum te plausus turba novena facit.  
 7 Undosum mea cymba tremit conscendere pontum :  
 8 quam durum est parva lintre secare fretum !  
 9 Ille potest tuta qui se statione tenere  
 10 dignus naufragio est si petit ille mare ;  
 11 parva timet volucris proprium quae linquere nidum  
 12 et volat hinc casu digna perire suo est.  
 13 Icarus, aethereas ausus volitare per auras,  
 14 ipse suo infelix nomine signat aquas.  
 15 Hectors qui falsis voluit tentare sub armis  
 16 Hectoreae sensit quam potuere manus.  
 17 Troilus, ah nimium dispar, congressus Achilli,  
 18 dira ab inaequali funera Marte tulit.  
 19 Olim Calliope, coetu comitata sororum,  
 20 aethereo doctos movit in axe sonos.  
 21 Numina laetantur dulci modulamine, dulci  
 22 laetantur cantu sidera summa trahi.  
 23 In medio Paeon stupet agmine, convocat omnis  
 24 Ardalidas, subito mandat ut ima petant  
 25 et doceant genus humanum quo sidera cantu  
 26 celsa rotent, quales dentur ab axe soni.  
 27 Linqunt astra deae, Parnassia culmina tangunt :  
 28 arguta resonat collis uterque lyra.  
 29 Undique concurrat tellus vicina, sonoro  
 30 audito cantu, vernat amoenus ager.  
 31 Floret Hyampaeum redolenti germine, floret  
 32 Tithorea et variis Cirrha rubet rosulis.  
 33 Celsa Cithaeronis fervent juga carmine montis,  
 34 turba puellares ducit honesta choros.  
 35 Incipiunt cantare homines et Linus et Orpheus :  
 36 Maeonium resonat carmen utrumque nemus.  
 37 Docta cothurnati petit astra Thalia Maronis,  
 38 tangit et aeternos arma virumque deos ;  
 39 ipseque, littorea redimitus tempora myrto,

40           immiti absumptus morte Tibullus amat.  
 41       Usque adeo cantare juvat, versare choreas,  
 42           usque adeo tristi morte perire juvat,  
 43       ut genus humanum oblitum potuque ciboque  
 44           tristia maluerit fata subire jocis.  
 45       Nam postquam ad superos axes se turba recepit,  
 46           turba solent vates qua super astra vehi,  
 47       mortales periere fame, dulcedine capti  
 48           Pieridum cantus Pieridumque soni.  
 49       Non illos Cereris, non illos cura Lyaei,  
 50           non movet a cantu dulcis et alta quies.  
 51       Assistent mitique cadunt modulamine nec se,  
 52           sint licet in media morte, levant modulis.  
 53       Ii casus tetigere deos, tetigere labores,  
 54           humanumque genus movit ab axe Jovem.  
 55       Forma hominis subito querulae fit imago cicadae,  
 56           quae canit et vitae est immemor usque suae.  
 57       Tu vero nostri splendor tu maxima saeculi  
 58           gloria, cui Phoebus Pieridesque favent,  
 59       solus ab excelso deductum carmen Olympo  
 60           ipse tenes : nobis rauca Minerva datur.  
 61       Unus ego, ex illis quorum attenuata querelis  
 62           forma fuit cantu, sub nova fata trahor ;  
 63       nec mea Permessi tetigerunt labra liquores,  
 64           Pegaseum nectar nec mea Musa sapit,  
 65       ut valeam doctos inter numerarier illos,  
 66           virginea quorum tempora fronde micant.  
 67       Tu, cui pacato caelestia numina vultu  
 68           arrident, doctos pone, poeta, modos.  
 69       Ipse ego, crudeli nimium subjectus Amori,  
 70           cogor inaequali vulnera ferre pede.  
 71       Per varios casus, per iniquae fulmina sortis,  
 72           terrata nostra canit Musa suas lacrimas.

## XVI

AD ILLUSTRISSIMUM PRINCIPEM FEDERICUM, MANTUAE MARCHIONEM,  
 PRO SALUTE EIUS INSTAURATA.

v.1       Ardebat Fortuna potens te reddere caelo,  
       2           ut semel humanum laederet illa genus.  
       3       Festinabat Atlas humeris sibi ponere tale  
       4           pondus, eras capiti sarcina cara suo ;  
       5       jamque fere Lachesis dederat tua fila sorori,  
       6           jamque suum flebat patria maesta patrem.  
       7       Talis erat facies urbis, mitissime Princeps,  
       8           qualis Thebarum, cum caperentur, erat.  
       9       Attoniti mussant patres, gemit ipse Senatus  
      10           et lacrimae matrum pectus et ora rigant.  
      11       Stant nati sine mente tui, nec reddere possunt  
      12           verba tibi : tantus comprimit ora dolor.  
      13       Fiunt vota Deo, pia numina quisque precatur,  
      14           dantur thura focis, victima caesa cadit.

15 Ipse Deus, summa cum nos spectaret ab arce,  
 16 annuit iis precibus ferre salutis opem.  
 17 Auxilium tibi praesto dedit, dedit ille salutem,  
 18 te patrem patriae reddidit ille tuae ;  
 19 et si jam caeli dignum te sciret honore,  
 20 noluit invito te tamen orbe mori.  
 21 Est etiam superis humani cura laboris,  
 22 flectunturque aliqua numina summa prece.  
 23 In tanto si te rapuissent fata tumultu,  
 24 quo rueret Latium cernere tempus erat.

## XVII

ORAT FULVIAM UT SE TOTAM EI MANIFESTET, CELET TANTUM PAPILLAS,  
 CUM CANDORE PECTORIS ILLIUS CONSUMETUR ;  
 ASSERIT SE INTERIMERE UT ILLI COMPLACEAT

v.1 Fulvia bella nimis, nimium mihi candida, vincis  
 2 quae lac vel liliū purpureamque rosam,  
 3 quam nitidum nec vincit ebur quod mittitur Indis,  
 4 quae superant aurum, pande, puella, comas.  
 5 Stellatos oculos, cedunt quis lumina solis,  
 6 quae vincunt ebum, pande, supercilia.  
 7 Pande, puella, genas perfusas murice rubro,  
 8 dulcia labra mihi porrige, corralia,  
 9 daque columbatim mihi basia, da mihi centum,  
 10 dein centum, cedent Attica mella quibus ;  
 11 et bene productum ex humeris mihi candida collum  
 12 pande, puella, tuum : me sine pace frui.  
 13 Vix exsurgentes e pectore conde papillas,  
 14 quae nimium dulci lacte modo redolent.  
 15 Candore et luxu nivei me pectoris esse  
 16 cogis in extremo limite, dira, necis.  
 17 Iste tuus sinus expansus mihi spirat amomum ;  
 18 ex te proveniunt undique deliciae.  
 19 Quid sugis vivum e venis mihi, saeva, liquorem ?  
 20 Haec tua mi misero basia cor penetrant.  
 21 Improba, non cernis nimio quod aduror ab igni ?  
 22 Me miserum media sic nece destituis ?  
 23 Sic nece destituis manifesta ? Nec pudet illum  
 24 spernere, cui proprio es corpore cara magis ?  
 25 Ut contenta meo sis funere, pectore condam  
 26 hunc gladium et voti sic modo compos eris.  
 27 Me voluere tibi fata inservire ; necesse est  
 28 illa sequi ; moriar : tu mihi finis eris.  
 29 Nosco equidem, cernes cum tu mea funera, dices :  
 30 "Hic tam crudeli non nece dignus erat".  
 31 Sed frustra miserata meam tunc, perfida, mortem  
 32 heu fueris, sero lenis et esse voles.

## XVIII

AD DOMINUM DARIUM TIBERTUM,  
EQUITEM DIGNISSIMUM, PATRICIUM CESENATEM POETAMQUE FACUNDISSIMUM.

v.1 Docta Philetæis ludat redimita corymbis  
2 et canat aethereos nunc Elegia modos.  
3 Cingite virginea flaventia tempora lauro,  
4 spargite, Pierides, per juga summa rosas.  
5 Tus, myrrham et costum, redolentia cinnama templis  
6 liliaque et flores casta Minerva ferat.  
7 Rideat et cantus Parnasus ad aethera tollat,  
8 rideat arguta collis uterque lyra.  
9 Ornentur postes auro nitidoque elephanto  
10 exhilaretque suum lumen uterque polus.  
11 Tange chelym : novus ingreditur tua templa sacerdos ;  
12 tange chelym, vireant et tibi, Phoebe, comae.  
13 Phoebe, comae vireant tibi : jam nova fama per orbem  
14 crescit et Aonidum fertur ad astra decus.  
15 Celsa Therapnaeae lustrentur templa Diones,  
16 nec puer Assyrio dulcis odore vacet.  
17 Isthmia nunc celebri Venus est cantata cothurno,  
18 Tyrtæaque lyra floret in orbe Sapis.  
19 Smyrna suum vatem, nec jactet Tusca Maronem  
20 Mantua, Vergilio Mantua clara suo.  
21 Desinat excelso cataphractum extollere cantu  
22 et canere altisona cesset uterque tuba ;  
23 semine quo surgat Titan nec cantet Aratus,  
24 quave suos radios luce Diana tegat :  
25 Darius aeterno fera proelia, sidera versu  
26 cantat et aligeri tela cruenta dei.  
27 Ipse repertorem citharae sermonibus aequat,  
28 nimirum huic pendens ungula cuncta dedit.  
29 Virgineum hic Heliconâ quatit doctasque sorores  
30 convocat ad cantus sidereamque tubam,  
31 cogit et e sacra Phoebum descendere Cirrha,  
32 Bacchum Nisaeo cogit abire jugo.  
33 Tanta illi est probitas, tanta illi copia fandi,  
34 Graecia quos jactat vincat ut ille viros.  
35 Munychiae florent arces, nunc floret Apollo,  
36 nunc hedera et myrto lingua Latina vires.  
37 Largius exuberant amnes rosulisque nitentes  
38 decurrunt valles, nunc viret omnis ager.  
39 Thespiadum tauri circum ipsa altaria centum  
40 mactentur, summo victima danda Jovi est.  
41 Victima danda Jovi est, talem sortita poetam  
42 cum sit Calliope Calliopesque chorus.  
43 Juppiter ipse deus Musis favet, omnia Musis  
44 debent : aeternum est quicquid ab ore vomunt.  
45 Non ille aetherei dictus rex esset Olympi  
46 centimanumque Gygem contemerasse manu,  
47 contemerasse manu saevum per inane Typhoea  
48 atque hunc Nisaeis imposuisse jugis,  
49 Castalidum ni docta cohors, ni magnus Apollo

50 aeternis canerent gesta deum modulis.  
 51 Gaudet in Elysiis campis turbamque choreis  
 52 exercet vatum gloria nostra, Maro ;  
 53 et laetus decantat "io" plausuque poetas  
 54 ortatur, vati dent pia verba novo.  
 55 Exsultant umbrae per inania Tartara priscae  
 56 conventusque trahunt Ditis et umbra nitet.  
 57 Ditis et umbra nitet : Pluton trahit ipse choreas ;  
 58 ipsae etiam Manes fata quieta tenent.  
 59 Ascraeus Siculusque senex, qui ditat agrestes,  
 60 dulciculis implet Tartara nigra sonis.  
 61 Turpia Ledaeae cecinit qui furta puellae,  
 62 personat aurata dulcia verba chely.  
 63 Chalcidico volucres qui versu pinxit amores  
 64 te Latia, Dari, nunc canit usque lyra.  
 65 Miratur Sophron, te solum docta Corinna  
 66 miratur ; parva te modulamur ope.  
 67 Mirantur nymphae et Dryades Fauniquae salaces  
 68 mirantur Satyri teque tuamque tubam.  
 69 Tu canis aeternum carmen, tibi Cynthus illud  
 70 temperat et doctis te docet articulis.  
 71 Tu decus es vatum, Romani fama decoris,  
 72 tecum Ithaci floret lingua diserta ducis,  
 73 Tullius et, Latiae facunda maxima linguae,  
 74 nescio quid clarum concinit ore tuo.  
 75 Facundusque color Fabii tibi manat ab ore,  
 76 tu quodcumque canis, dicitur arte tibi.  
 77 At dederint cum tanta tibi monumenta sorores,  
 78 dispensant fuis quae bona nostra suis,  
 79 fac teneas memori Marci sub pectore nomen  
 80 et mihi Pieridum numina concilies.

## XIX

AD IOANNEM ALDROANDINUM, COMITEM ET PATRICIUM RAVENNATEM,  
 HORTATUR UT PATRIS MORTEM PATIENTER FERAT

v.1 Parce tuis oculis, Joannes, parce parentem  
 2 flere tuum : mors est finis honesta malis.  
 3 Sat vixit genitor, fuit hic insignis equestri  
 4 ordine, sat clarum gessit in orbe decus.  
 5 Illos flere decet, quorum sunt omnia fato  
 6 exstincta et rapuit quos sine honore dies.  
 7 Quo vivat genitor tuus exstant alta decoris  
 8 praeconia et famae gloria vera nitet.  
 9 Te genuit, qui, si dederint modo fata, parente  
 10 non minor at claro nomine major eris.  
 11 Illustris soror est, peperit quae candida solem  
 12 aethereum, summos qui superavit avos,  
 13 qui Malatestaeum tollet super aethera nomen,  
 14 imperii metas qui sine fine volet.  
 15 Auguror et vatum si quid praeconia veri,  
 16 si quid habent certi, numina si qua favent,

17 eveniet, quoniam puero viget inclyta virtus :  
18 Pandulphus magno nomine clarus erit.  
19 Crescit enim virtus annis surgentibus ipsa :  
20 si viret in puero splendet et illa sene.  
21 Sunt aliae quarum virtus viget alta sorores,  
22 quae nulla poterunt condicione mori.  
23 Has immortales virtus facit : omnia possunt  
24 tempore consumi, stat tamen illa recens.  
25 Multa tuum aeternum reddunt monumenta parentem :  
26 vita proba et claro stemmate progenies.  
27 Ne fle conspicuum patrem, qua vivit et alti  
28 summa chori petiit, comprime lacrimulas.  
29 Exstinctum plausu Seres risuque sequuntur,  
30 uxor cum natis carmina laeta canunt.  
31 Hoc faciunt quoniam credunt hunc esse beatum  
32 qui vitam hanc fato candidiore fugit.  
33 Rursus et immodicis lacrimis flent, cum datur ulli  
34 haec vita, est quoniam subdita tota malis.  
35 Vita nihil, fugiunt anni, sunt undique morbi ;  
36 ille diu vixit qui sine labe perit.  
37 Uti more velis Scythico, gratare parenti :  
38 has liquit tenebras et meliora tenet.  
39 Parce tuis lacrimis illi turbare quietem,  
40 fac patris ossa tui molliter ut jaceant.

\*\*\*\*\*  
\*\*\*\*\*  
\*\*\*\*\*  
\*\*\*\*\*  
\*\*\*  
\*